

quod si tam Graecis novitas invisa fuissest 90
quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet,
quod legeret tereretque viritim publicus usus?
ut primum positis nugari Graecia bellis
coepit et in vitium fortuna labier aequa,
nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum, 95
marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit,
suspendit picta vultum mentemque tabella,
nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragedis;
sub nutrice puella velut si luderet infans,
quod cupide petiit, mature plena reliquit. 100
hoc paces habuere bonae ventique secundi.

Romae dulce diu fuit et sollemnre reclusa
mane domo vigilare, clienti promere iura,
cautos nominibus rectis expendere nummos,
maiores audire, minori dicere, per quae 105
crescere res posset, minui damnosa libido.
quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
mutavit mentem populus levis et calet uno
scribendi studio; puerique patresque severi
fronde comas vincti cenant et carmina dictant. 110
ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus,
invenior Parthis mendacior et prius orto
sole vigil calatum et chartas et scrinia posco.